

manum creuerit imperium. Optimis namq; & moderatissimis legibus vrbs Romana per consules fundata est, cœperuntq; iustissimè rempublicam administrare. Ob quam causam pleræq; nationes se spontè subdiderunt Romanis. Illi enim paulò post Reges exactos decem viros scientia & prudentia præstantes miserunt Athenas, per quos leges à Græcis ciuitatibus petebant, ne in incerto iure viuerent: quas in tabulis eburneis descriptas pro rostris proposuerunt, quo leges apertius percipi possent. Quàm etiam bello & armis militariq; disciplina sub consulari imperio Romana sit adaucta potentia, veterum sanè historiarum codices pleni sunt. Superstitibus enim regibus Romanicum finitimis tantùm regionibus sollicitabantur, nec longè adhuc arma commouerant. Sub consulibus verò extremas etiam nationes terra mariq; aggressi, victoriosissimis bellorum triumphis & cum multo suorum sanguine inclitum imperium longè latèq; dilatarunt. Quas nempe laudes gratiasq; non dignè satis dicere potest alium imperium illustribus & fortissimis viris Scipionibus, Fabijs, Æmylijs, Fabricijs, Metellis, Catonibus, Brutis, Marijs, magnoq; Pompeio, ac Caio Iulio, deniq; Cæsari consulari adhuc dignitate prædito, plerisq; tum alijs inexhausti vigoris nobilissimis ciuibus, qui pro huius imperij nomine & fama extollenda asperrima bella gesserunt, tot cruentos cum hostibus inière conflictus, totq; millibus periculis & mortibus se infracto pectore opposuerunt. Vsq; alia penè innumerabilia bella omitam, occurrit illud secundum Punicum bellum, vbi apud Cannas vicum Apuliæ Hannibale victore tot nobiles Romani pro salute imperij & reipublicæ internecone corruerunt, vt Hannibal pro testimonio triumphi tres modios annulorum aureorum Carthaginem miserit, quos ex manibus Romanorum equitum, senatorumq; & militum detraxerat. Ingens mediusfidiùs mihi, dum reminiscor, ex intimis erumpit præcordijs dolor, tantum tamq; generosum Hannibalis dextera profusum esse cruorem. Quo denique clara virtus Romanorum, quæ ad gloriæ & serenissimæ famæ extollentiam cupidissi-
ma